AD

Virum Clarissimum

DANIELEM TURNER, M.D.

EPISTOLA:

Morbi infrequentis Historiam

ENARRANS.



LONDINI:

Typis *J. Bettenham.*

Impensis J. Clarke, ad Insigne Bibliorum subter Cambium Regium, Cornhill. MDCC XXXI.

Viro Clariſſimo

DANIELI TURNER, M. D.

S. P.

HANC avidiſſimè arripio opportunitatem quâ demum poſſim aliquantulùm ſaltèm præbere teſtimonii meæ erga te reverentiæ. Ea namque, magna quidem, & numeroſa, quæ in me perhumaniter contuliſti beneficia haud majorem vendicant gratitudinem, quàm honorem ſumma ſanè, in arte noſtra, tua exigit peritia. Quoties enim cunque medica tecum commiſcui conſilia tantum animi candorem, tantamque ingenij ſagacitatem demonſtrâſti, ut utrum magis mirarer dubius ſemper hæſi. Es quippe in dignoſcendâ uniuſcujuſque Morbi naturâ maximè perſpicax; nec in iiſdem debellandis minus profectò fœlix. In quâ quidem arte, quam improbo jamdudum labore, ſumma integritate, nec minori cum laude non

parum provexiſti, uti perpaucis, ſi ullis, ſecundus es, ita nihil prius habes, quàm ut eadem adhuc magis magiſque promoveatur.

Sæpenumerò mecum cogitavi quod ad hujus augmentationem nihil plus conferret, quàm ſi frequentior nobis incidendorum Cadaverum, Morbis nimium celatis interfectorum, data eſſet poteſtas; ſimulque Medici inuſitatorum Hiſtorias ſæpius deſcribendo nobis indulgerent.

Quum igitur caſus, ni fallor, ſingularis in Praxi noſtrâ nuperrimè accidit, haud pravè me tempus collocaturum arbitrabar, ſi modò eundem breviter narrarem.

Fœmina, corporis admodum obeſi, annum agens quadrageſimum octavum, ad initium proximè elapſi Novembris atrociſſimo Inteſtinorum dolore correpta fuit; quem non frequens Enematum injectio, non repetita Catharticorum virtus, non ipſum denique Papaver, ſublevare potuerant. Poſtquam hæc per ſeptimanam uſque miſeram diſcruciaverant Tormina, accerſitus ſum; quam inveni cum acutiſſimo in medio Abdomine dolore, ad unum fere punctulum defixo, luctantem: adfuit frequens bilioſus Vomitus; Jactatio inquietiſſima; maxima Animi dejectio:

dejectio; Suſpiria profunda, perpetuò recurrentia: Sæpius ex Catharticis depoſuerat alvum, dolore interim nihilominus neutiquam pacato; vix quicquam ſomni per ſex quidem dies obrepſerat; vireſque penitus exhauſtæ Pulſum languidum præbebant, & parvum.

Morbum itaque Colicæ inſultum nervoſæ judicans, Philonii Romani ʒß quamprimum ſumendam præſcripſi, ſimulque Medicamen ex conf. Raleigh. Valerianæ ſylveſtris radice, & Caſtoreo Ruſſienſi confectum, ſexta quâque repetendum horâ. Noctem placidiſſimam molli cum ſomno, tranſegit; maximumque ex Boli Cardiaci repetitione experta ſolatium intra tres dies non Lectum ſolummodo (cui per Hebdomadam defixa jacuerat) ſed ipſum quoque deſeruit Cubiculum; nullus ſupererat dolor, nulla Vomituritio, nec ulla omnino, niſi de parvula Abdominis teneritudine, remanſit querela.

Vix autem octo excucurrerant dies, quum novus profecto Morbus, novis Symptomatibus ſtipatus, acceſſit. Immanes nimirum cruciatus miſeram cubantem ſæviſſimè torquebant; qui a medio Spinæ ad Os uſque ſacrum, in Latere ſiniſtro, producebantur; Vomitus perpetuus; Femoris

moris vicini ſtupor, & quædam quaſi Retractio; Ructus frequentes; Urina rubra, clara, parca; gravitatis ad Renum Regionem ſenſatio.

Jam ſuſpicabar ſabulum fuiſſe in Renum Pelvi coacervatum, cujus Expulſionem moliebatur Natura. Initium quippe doloris in ipſo videbatur Rene, illiuſque deorſum continuatio totum Ureteris tramitem affectum eſſe indicabat: quin & Femoris ſtupor, Vomitus, ipſiuſque infœlix ægræ conſtitutio, Nephritico inſultui maximè obnoxia, eandem confirmabant ſuſpicionem.

Emollientiſſimum itaque Enema illico injici curabam; in quo mediante Ovi Vitello Terebinthina Veneta ſolvebatur: Parabat inſuper Pharmacopœius laxantem cum Ol. Amygd. D. & Sperm. Cet. Emulſionem. Et ut magis adhuc ſopiri poſſet vehementia doloris ad Laudani virtutes confugimus. Sperabam clyſmatis injectione me Renis ipſius carnem, & Ureteris anguſtias relaxaturum fore; dum Emulſio lubricans emolliret Vias, dolorem in Pelvi & Uretere leni virtute ſua ſedaret, ſimulque Excorationem, ab aſpero ſabuli attritu aliter proventuram, arceret. Putabam porrò Ureteris muſculoſas fibras contra cal-

culoſam

culoſam Materiam arcte eſſe applicatas, ut illam detruderent deorſum: Qui quidem Naturæ niſus adeò quandoque fortis eſt, tantaque Ureteri circumducitur conſtrictio, ut viam penitus præcludat: Quum igitur illa anodyno Medicamine labefactata relaxatur, aperitur Ductus, & ſponte ſua decidit ſabulum.

Eodem pede pergebamus, niſi quod ſabulum magis adhuc propellere Diureticorum uſu ſtudebam; opium interim, prout miteſcebant dolores, ſubducens. Hi quippe indies levabantur, ipſo memorato pondere, propius Veſicam, per Ureteris, ut videbatur, ductum, ſenſim dilabenti. Credebam jam perſuaſiſſimè, uti tu puto credidiſſes, Calculum eſſe in Uretere reverâ impactum. Urina quam reddidit clara fuit; &, ſine arenoſo Sedimento, rubra; convaleſcebat tamen remittenti dolore quotidie.

Elapſis verò quatuordecim circiter diebus, ex quo Nephriticus hic eludens invaſit inſultus, alvum depoſitura ingenti cruciatu ad medium Recti, unà cum graviſſimo ibidem pondere correpta eſt: affectus Inteſtini locus profecto videbatur ille cui valvulæ ſemilunares inſeruntur; quas noſter primo memoravit *Gliſſonius*, nemo autem

autem ante illuſtriſſimum [a] *Morgagni* accuratè deſcripſit. Excrementi nihil omni niſu ſuo extrudere valebat: Dolore ſingulis momentis incredibiliter ingraveſcenti, conabatur iterum quam potuit maxime alvum exonerare; fruſtra. Gelido igitur undique diffluens ſudore, ſola, languida, lacrymabunda, anhelans, gemens, exclamans, reſolutis tandem viribus parum abfuit quin in Animi Deliquium caderet: Delapſo autem paulo inferius pondere, ipſa indicem cum Pollice Digitum per Sphincterem in Anum protruſit; ibidemque duri quiddam Corporis præſentiens, prehendit, paululum diduxit, rurſuſque magnâ vi ſedem deponere conata, CALCULUM cum Fœcibus prægrandem extruſit; ſequebantur pauci coagulati cruoris grumi; Dolores illico evanuerunt; & quam uno momento jure miſerrimam, altero fæliciſſimam omnium dixiſſes.

Habes jam, Vir integerrime, brevem ſed fidelem hujuſce Morbi Hiſtoriam: cui quidem ſimilem quodammodo memoravit auctor non vulgaris, [b] *Nicolaus Tulpius*; adeo attamen con-

[a] Adv. Anat. 3. Animadv. 6.
[b] Obſ. Med. Lib. 1. Cap. 59.

ciſe

cisè ut intra quinque lineolas omnis limitetur narratio. Putabam reverà quædam esse in nostro Morbo observatu haud prorsus indigna, quamobrem totam ejus Historiam dedi; & binas ipsius calculi accuratissimas attexui figuras. Neque quæ scripsi ita intelligas velim, quasi prætumidus jactitarem memet scilicet ipsum egregii quiddam facinoris fecisse. Me certe summa decet modestia; sentio enim quàm sit exiguum quod in me est ingenium: Credo tamen quæ feci, Morbus quamquam penitùs fefellit, te quoque in eodem casu facturum fuisse.

Vix est in universo corpore plaga in qua non aliquando calculos latentes detexit cultor anatomicus. Neutiquam ignoras quot in Ureteribus, Renibus, Vesicaque urinaria aperta præbuerunt cadavera. Illos à [c] Pulmonibus Phthisici frequenter extussiunt; frequenter post mortem in alterutro [d] Lobo, Glandulaque, his & claviculis interposita, [e] Thymo reperiuntur. In Venis nonnunquam [f] Meseraicis, Vena [g] Thoracica, Arte-

[c] Pison. Obs. 44. Sect. 3. Cap. 4, &c.
[d] Bonet. Sep. Anat. Lib. 2. Pag. 276. [e] Ibid. Pag. 783.
[f] Ibid. Pag. 746, 50. [g] Tulp. Lib. 4. Obs. 22.

ria [h] Aorta, & ipſo quidem [i] Corde occurrunt. Quodque magis adhuc mirandum eſt, intra minutiſſima Cerebri Vaſcula, in plexu nimirum [k] Choröeideo, Glandulaque [l] Pineali nonnunquam concreverunt.

[m] Vomitu interdum è Ventriculo rejicitur, è [n] Faucibus, [o] Linguæque ſubſtantia detruditur, ſternutatione de [p] Naribus excutitur, è [q] Mammis exſecatur, atque ab imo [r] Ulcerum fundo effoditur, lapillus. Immo Tuberculi, in Collo nati, ex unicâ uniformi lapideâ conſtantis ſubſtantiâ, Hiſtoriam protulit ſcriptor graviſſimus, [ſ] *Aurelius Severinus.* Nullum eſt profectò Viſcus, nulla Glandula, nullum Vas, nullus Humor, nulla denique in humano corpore Cavitas (ſi ſolam excipias oſſium medullam) in quibus non aliquando formatur Calculus; quod luculenter patebit eorum ſcripta conſulenti, qui

[h] Id. Obſ. 25. Lib. 2. [i] Bonet Sep. Lib. 3. Pag. 574.
[k] Wepfer de Apoplex Pag. 9.
[l] Id. Pag. 496. Phil. Tranſ. Abr. Vol. 3. Pag. 157. Malp. de Pol. Cord.
[m] Foreſt Obſ. 19. Lib. 18. [n] Ruyſch Theſ. Anat. I. Lit. I.
[o] Foreſt Obſ. 26. Lib. 14. Turner's Surgery Hiſt. 16.
[p] Ruyſch Obſ. Anat. 44. [q] Id. Theſ. 1. Lit. L.
[r] Tulp. Obſ. 22. Lib. 4. [ſ] De abſceſſ. Nat. Pag. 300.

Morborum

Morborum Hiſtorias collegerunt. Neque mirum eſt equidem parvulos per alvum Calculos depulſos eſſe; evenit enim frequenter: Eſt autem miri mehercle quiddam lapidem tantæ magnitudinis, quantam adjunctæ exhibent figuræ, non dico per Rectum poſſe expelli, ſed in Inteſtinis tam diu deliteſcere.

Si quidem Hepar reſpiciamus, calculum quandoque ingentem inter illius ſubſtantiam extimamque [t] Membranam, peculiari undique circumvolutum cyſti, reperiemus: Quin & Glandulæ ſæpè jecinoris dura, gypſea [u] ubique concretione diſtentæ inſigniter adaugeſcunt. Bilis porrò Veſiculam legimus prægrandem continuiſſe lapidem, qui unicus totam ejus opplevit [x] cavitatem; quæ quoque frequenter multis infarcitur lapillis, qui ſemel [y] centum & viginti, immo [z] ducenti & plures numerati fuerant: Hujuſce inſuper Veſiculæ internam Tunicam pluribus in locis perfectè lapidefactam vidit [a] *Ruyſchius*: Eodemque ſanè modo ipſe Ductus [b] Bilarius,

[t] Bonet Sep. Lib. 3. Pag. 304. [v] Malpighi de Hepate Pag. 63. [x] Bonet Ibid. Pag. 325.
[y] Morgagni Adv. 3. Animadv. 28. [z] Bonet Ibd. Pag. 304.
[a] Obſ. Anat 31. & Tab. annexam. [b] Gliſſon de Hepate Cap. 7. Malp. de Polypo Cordis.

rius, per totum ejus tramitem petrefactâ quasi Fistulâ ubique nonnunquam offercitur.

Hæcce quum cogitans evolvi, satis intellexi sanè parvulum posse calculum facillimè ab Hepate ad Intestina detrudi: In hoc unicè hæsi, undenam scilicet lapis tantæ magnitudinis in illa pervenire potuerit. Ut autem veritatem accuratius investigarem uno ictu per longitudinem diffregi; quum omnia illico manifestiora evaserunt.

Inveni nimirum in medio, nucleum qui perfectè videbatur calculus in Vesica fellea olim formatus; in cujus centro parvula croceæ admodum Bilis concretio, illis simillima centris quæ in medio lapillorum ex hac Vesicula desumptorum semper reperiit celeberrimus [c] *Morgagni*, intercludebatur. Circum hanc undique croceam Basin albidus, solidus, non admodum durus, lamellatim accreverat calculus; qui diffissus radiantia spicula a centro ad circumferentiam tendentia visui obtulit. Diameter per latitudinem semi est uncia; uncia autem per longitudinem integra. Illum equidem in Vesicula

[c] Adv. Anat. 3. Animadv. 29. & ejusdem Epist. 1. Pag. 53.

fellis

fellis fuiſſe formatum, promptiùs putavi; quum eodem tempore diffringens parvulum lapillum quem ex bilaria muliebri Veſica deſumpſit chirurgus, in ſuo ſanè centro inveni Bilis croceæ guttulas fortè quatuor concretas, illique perfectè ſimiles materiæ quæ noſtro Baſin ſubminiſtravit. Uterque porrò calculus circumaccretus ejuſdem planè fuerat coloris, flammam in ignem projectus æqualiter aluit, neuter verò in aqua tepida ſolvebatur.

An igitur potuit Ductus Cyſticus tantam pati diſtentionem ut huic pertranſeunti lapidi viam præberet? An potuit Ductus Bilarius inter Tunicas Duodeni proſerpens tantam molem admittere? Eorum equidem canalium [d] anguſtiæ abſolutè negare videntur. Concedamus autem: An quæſo poterant hi Ductus adeo ingenti lapide infarciri ſine ullo dolore, ullove ſubſequenti Ictero? Noſtra tamen fœmina nullum, quem memoria tenet, unquam dolorem ſub dextro Hypochondrio perpeſſa fuit: Nullus certiſſime Icterus flavo colore cuticulam vel leviſſime fœdavit unquam. Veſiculam fateor felleam lapillis abun-

[d] Gliſſon de Hepate Cap. 14, & 16.

dantem

dantem [e] absque Icteri indiciis frequenter invenimus; Cysticum vero vel Bilarium Ductum lapide penitus fuisse obstructum (noster enim admissus eos proculdubio obstipavisset) absque superveniente Ictero, hactenus credo inauditum. Non ignoro quidem calculum prægrandem in Renis pelvi impactum fuisse, qui mirabiliter [f] perforatus urinam adhuc libere transmisit. Et haud absimili pervio fortassis calculo Ductus nonnunquam communis Choledochus infarcitur; verum enimvero noster absque ulla aperturæ nota solidus ubique fuit.

An itaque minor erat multo nucleus hicce ubi primo in Intestina dilabebatur, sed prope Ductus Bilarii orificium fortè moratus, ad illam quam vidimus Molem, ex perpetua Bilis affusione, accrevit? Donec tandem ad ampliora Intestina depulsus ingentem in iis suam fuit adepta Molem? Hoc sane quamquam plurimæ nec parvæ obstant difficultates, quas unusquisque Rei Anatomicæ gnarus facile percipiet, est equidem verisimillimum.

[e] Morgagni Epist 1. Pag. 57, &c. [f] Eustach de Renibus Cap. 15.

Ut

Ut ut autem illa ſe res habeat, ſimul ac firma præſto ſit baſis, craſſior alimentorum pars, Mucuſque inteſtinalis, ſuapte glutinoſa natura tenax, calore perpetuo inſigni Abdominis magis inſpiſſatus, compreſſione Fibrarum Inteſtinalium, Peritonæi, & Muſculorum abdominalium compactus, in lapideam prorſus ſubſtantiam facile indureſcet. Sic minutulum [g] avenæ granum magno baſin calculo præbuit, quem per anum extruſit equus. Neque miraberis profectò, Mucum Inteſtinorum in ſolidam ſubſtantiam poſſe compingi, poſtquam ipſas Coli Glandulas lapidefacras vidit [h] *Ruyſchius.* Illa equidem cruſta quæ noſtrum circa nucleum accreverat hujuſmodi abſolutè ſubſtantiæ videtur; coloris nimirum profundè flaveſcentis, inſtar olei flammam alens, aquam ſupernatans, affuſa tepida non ſolvenda, & odoris ſanè teterrimi.


Tres itaque præcipuæ diſtinctæque partes calculum hunc formare videntur. Exigua nimirum croceæ Bilis compacta portio baſin primo præbuit aptam, circa quam in Veſicula ex felle formaretur lapillus; qui dein ad Inteſtina per-

[g] Ruyſch Theſ. Anat. 2. Pag. 39. & Tab. 2. Fig. 4, 5, 6.
[h] Cat. Rar. Pag. 129.

veniens, affuſa forſan ibidem bile auctus, dura tandem cruſta ex illorum muco, & alimentorum fœcibus circumducebatur.

Qua tandem, Vir amiciſſime, qua inquam ratione naturæ conamen hunc expellendi lapidem adeo exacte nephriticum retulit inſultum, mei non eſt decernere: Illud acri Tu tuo excutias Judicio. In ſumma igitur hanc tenuiſſimam quæſo accipias opellam, (lectu quamquam tuo prorſus indignam) ut maximè ſincerum mei erga Te Amoris, Gratitudinis, & Reverentiæ indicium. Vale jam, & meis adhuc faveto ſtudiis!

Dabam ex Muſæo: Quarto
Iduum Februarij 1730.





Ger. Vandergucht sculp.

[illegible]